

I. N. 7.

DISSERTATIO PHILOLOGICA,
DE

SIGNATURA

FILLI

HOMINIS:

DEUS,

JOH. VI. v. 27.

QUAM,

Conf. Ampl. FACULT. PHIL. In Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

LAURENTIO O.

LEFREN,

Ling. Orient. & Græcæ PROFESS. Reg. & Ordin.

nec non

FAC. PHIL. H. T. DECANI MAXIME SPECTAB.

Pro Gradu Magisterii

Benignæ Eruditorum Disquisitioni offert

ERICUS WALLIANDER,

Austro-Finlandus,

Adj. Ministr.

ANNO MDCCLXXVIII DIE XXVII JUNII

IN AUDITORIO MAJORI L. H. Q. p. m. S.

ABOÆ, Impressit Job Christoph. Frenckell,
Reg. Acad. Typogr.

VIRO

Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,

D: NO ANDREÆ
WIRZENIO,

*Ecclesiæ, quæ Deo in Tyrvis & Kijka colligitur Pastori
Vigilantissimo,*

PATRONO OPTIMO:

Quum nemini, quam TIBI, Patrone Optime, plus debeam, nec alia mihi opportunior grati animi testandi occasio suppetat, hanc eo lubentius arripui, quo plura & majora sunt, quæ mihi exhibuisti, favoris documenta. Hanc igitur opellam TIBI, Patrone Optime, inscribere sustinui, pro TUO Tuorumque perenni felicitatis flore, quoad vixero, vota ardentissima nuncupaturus semperque permansurus

Plurimum Reverendî atque Praeclarissimi Nominis Tui

cultor observantissimus
ERICUS WALLIANDER.



§. I.

Qui ad studium lingvarum Sacrarum ea incubuerunt diligentia, ut de solertia interpretum Sacrarum Litterarum indonea iudicia ferre possint, iis necesse est varia subinde oracula offendere, in quibus omnes propemodum interpretes, ne optimis quidem exceptis, infra expectationem substiterunt. Quid? quod iis quoque Sacri codicis Lectoribus, qui in lingvis Sacris valde mediocres fecerunt progressiones, usu interdum veniat, ut loca observent, in quibus nulli translatorum vim verborum penitus exhaustire licuerit. Nobis certe aliquid huiusmodi observare contigit circa interpretamenta oraculi Salvatoris: $\tau\acute{\epsilon}\tau\omicron\nu\ \gamma\alpha\rho\ \acute{\omicron}\ \pi\alpha\tau\eta\rho\ \iota\sigma\phi\epsilon\rho\ \gamma\iota\sigma\epsilon\nu,\ \acute{\omicron}\ \theta\epsilon\acute{\omicron}\varsigma$ Joh. VI. 27. Quamvis enim omnes loci versiones evolvere non potuerimus, quotquot tamen evolvimus, ex hic aliquid humani nobis visæ sunt passæ. Ipse autem $\nu\acute{\alpha}\nu\upsilon\varsigma$, quem hic suspicamur, in eo situs est, quod nomina $\acute{\omicron}\ \pi\alpha\tau\eta\rho$ & $\acute{\omicron}\ \theta\epsilon\acute{\omicron}\varsigma$, quæ verbum $\iota\sigma\phi\epsilon\rho\ \gamma\iota\sigma\epsilon\nu$ disjungit, conjungenda stant, quasi esset adpositio, ut loquuntur Grammatici, & utrumque ad causam efficientem signaturæ,

de qua Salvator agit, refferri deberet, cum tamen hæc ipsa disjunctio separationem involvere videatur, ut prius tantum efficientem, posterius vero materialem signationis causam, hoc est, ipsum signum, constituat. Atque hanc quæstionem hæc quidem dissertatione pro virium modulo tractare decrevimus, nominis \odot \odot suppositionem, ut dicitur, materialem, quam fieri potest clarissime, sed brevissime tamen ostensuri. In antecessum vero tuam nobis lector Benivole patientiam & benevolentiam, qua par est observantia, expetimus.

§. II.

Prius vero, quam ad institutum nos propius conferamus, varias variorum interpretum sententias audire non pigebit. Latinus Vulgatus habet: Hunc enim Pater signavit Deus. Sebast. Castellio: Hunc enim Pater consignavit Deus. Hi duo soli Litteram sequuntur Textus, nihilque ad nostrum loci sensum distincte exprimendum in iis desideratur, præter signum coli ad verba signavit & consignavit. Interea totus reliquus chorus nobis contraria occinit, nomen \odot \odot ad causam signaturæ efficientem manifeste referendo. Lutherus transtulit; Den selben hat Gott der Vater versigelt; Svecus antiquus: ty Honom hafwer Gud Fader beseglat; Recentiores: ty Honom hafwer Faderen, som är Gud, teknat med sitt insegel; Fennus: sillä Isä Jumala on sen wäristänut.

Danus antiquior de Anno 1740: thi ham haver Faderen, som är Gud, beseglet dertil; Recen-
tior

tior de Anno 1772: tñt denne har Saderen, Gud selv beseglet dertil; Gallus Genevensis de anno 1588: Car le Pere, assavoir Dieu, l'a approuvé de son Cachet; Berolinenses Bellefobrius & Lenfantius: Car c' est lui, que le Pere, c' est a dire Dieu, a marqué de son sceau. Ante plerosque horum sic translulerat Theod. Beza: Hunc enim Pater obsignavit, id est Deus. Quod ad orientales adinet, nihil ii singulare habent, quum Syrus & Æthiops cum Vulgato, Arabs vero cum Luthero consentiat. Plura hic addere vetat angustia pagina. Unum tantum adhuc restat, ut nimirum nostram adponamus interpretationem, quæ sic habet: Huic enim Pater impressit Signaturam: Deus. Suetice: ty honom hafwer Saderen tesnat med sitt inegel: Gud: Hunc esse verum oraculi sensum contendimus, quamvis eum ab aliis forte & commodioribus & efficacioribus verbis exprimi posse, non negemus.

§. III.

Quum opellam nostram de *Signatura Filii Homini* inscripserimus, omnium primo pauca de Subiecto monuisse alienum non videbitur. Nomen *Filii Homini*, ex commate præcedente defunsumus, quandoquidem illud respicit Pronomen *אדם*, quod verborum §. I. allatorum agmen ducit. Hoc nomen eo dignius consideratione est, quod eo se ipse Salvator Optimus *plus quam octogies* in Historia Evangelica insignivit. Quid igitur in recessu habeat, excuti omnino meretur. Disci id optime potest ex Psalmo XLIX. v. 3. ubi *אדם בן אדם*, *filii hominis*, & *אדם בן אדם*, *filii viri*, sibi invicem opponuntur, &

alterum per עשירי, *divites*, alterum per אביון, *pauperes*, consveto Scripturæ parallelismo, exponitur, utroque vocabulo *collective* adhibito. *Filius igitur Homini eum notat, qui inferioris est conditionis, nec opibus insignis, nec honoribus illustris.* Quod Salvator, qui Deus est super omnia, benedictus in secula Rom. I. 25. se toties tam obscuro titulo adpellare voluit, id sane, ut quisque facile intelligit, non temere factum est, sed ob causas longe gravissimas, quas hic paucis exposuisse eo minus pœnitebit, quo plus lucis exinde acquirit signatura divinitatis, de qua præcipue agere instituimus. Primum quidem nihil simulati, nihil adfectati in hac inerat nomenclatura, quippe quæ simplicem spirabat veritatem. Erat enim ταπεινός τῆ καρδία, *ex animo humilis* Matth. XI. v. 29. Deinde hoc ipso omnibus præire volebat *exemplum veræ humilitatis*, quam lapsu Protoplastorum amiseramus, insolentia plane diabolica inflati. Joh. XIII. v. 15. coll. Gen. III. v. 6. Præterea nihil inveniebat efficacius ad corrigenda *præjudicia Judæorum*, qui *falsum sibi conceptum formaverant Messie*, quippe quem unice ex eo metiebantur, quod innatæ gentis superbiæ conveniebat, quale quid erat *spiritus propheticus*, inprimisque *pompa regia*, stulte præterito atque fastidito *sacerdotali ipsius officio*, in quo tamen ipse *cardo operis redemptionis vertebatur*. Nisi enim exinaniri voluisset Salvator maximus, ut pati & mori posset pro peccatis nostris, nunquam nobis parare potuisset *cibum illum salutarem, sine quo vitam æternam nec recuperare possumus amissam, nec recuperatam conservare.* Esuriam loquor carnis & potum

sarg-

sanguinis dulcissimi Salvatoris, quem ipse toto hoc Sexto capite Evangelii Johannei tantopere commendat. Tandem vero, quod primo loco moneri debuisset, nullum omnino nec verius, nec aptius reperiri potest argumentum, quo refutari queat inveteratum præjudicium, quod animo humano tum in sevit pater mendacii, cum protoplastis callidissime persuasit, DEUM esse spiritum valde invidum atque superbum, ex iisque vitiis profectam esse primam omnium legum, qua is esum fructus arboris scientiæ Boni & mali interdixerat. Qui filium vidit, is Patrem vidit, inquit Salvator Joh. XIV. v. 29. Quisque igitur attento animo intuetur omnia indicia incredibilis illius humilitatis, quæ in omnibus sermonibus, gestibus, actionibus & in tota adeo vita, immo in ipso mortis articulo SALVATORIS benignissimi elucebant, is totidem firmissima intuetur argumenta, quæ Deum ab omni tum superbia tum invidia suspicione quam longissime remotum demonstrant. Quid? quod in illis ipsis non tantum optimam inveniat medicinam, qua sanari possunt tetra illa ulcera, quæ ex primigeniâ Protoplastorum superbia profecta in animo humano etiamnum tument, tabificos fœtores undique spargentia, sed fortissima etiam incitamenta obsequendi monitis tum ipsius CHRISTI Matth. XI. v. 99. tum PAULI Phil. II. v. 5 seqq. quæ quidem loca Scripturæ nunquam nimis diligenter animis nostris inculcari possunt. Sed hæc hæc hactenus.

§ IV.

Nunc ulterius progredimur, hujus tam humilis
Filii Hominis summam consideraturi excellentiam,
 quam

quam ipsi conciliavit *sigillam* PATRIS *caelestis*, quo suam ei imaginem modo illustrissimo impressit. Ad hanc excellentiam certissime agnoscendam nos sine ambagibus deducet penitior excussio verbi *σφραγιστεν*, ex cuius *significatione* & *constructione* tota hæc quaestio pendet. Etymon si spectes, ortum creditur a verbo *σφραγισσω* l. *σφραγισσω*, quod communiter reddi solet *sepio*, *munio*, *obstruo*, pro diversitate objectorum, de quibus dicitur. Nobis prima ejus notio quaerenda videtur in *cingendo*, vel *circumdando*, unde reliquæ deinceps pronò alveo fluunt. Hinc per prothesin Litteræ *σ* nomen *σφραγισ*, quod proprie *annulum* significat, quia *digitum circumdat*, deinde *annulum signatorium*; tum *signum annulo signatorio impressum*; tandemque *signum quodcumque*, quo *alia ab aliis dignoscuntur* & *discernuntur*. Inde natum verbum *σφραγισσειν* proprie notat *sigillum imprimere*. Cumque id variis de causis fieri soleat, nimirum vel ut litteræ eo signatæ ab aliorum cognitione & excussione tutæ præstentur, vel ut res, quas litteris aut mandatoris aut promissoriis perscripsimus, *veræ* & *ratæ habeantur*, vel ut res nostras ab alienis, *venditas a non venditis* &c. discernamus. Factum inde est, ut hoc verbum non modo *obsignandi*, sed etiam *ostendendi*, *celandi*, *distingvendi*, *determinandi*, & id genus alias *significationes*, pro diverso loquentium & scribentium scopo admittat. Hoc vero loco, cum non de *re*, sed de *persona signanda* adhibeatur, paulo difficiliorem habet determinationem, quam tamen in sequentibus pro virili exponere conabimur.

§. V.

Sunt qui verbum ἰσφεράσσειν hoc loco nihil aliud significare existimant, quam vel ἀπέδειξεν, ostendit, vel ἐβεβαίωσε, confirmavit, vel ἐξεκάλυψε, manifestavit. Quam explicationem exhibent Patres THEOPHYLACTUS, CHRYSOSTOMUS, AMMONIUS & alii, quorum verba prolixius adducit SVICERUS in Thesaurο Ecclesiastico, ad quem lectores brevitatis causa remittimus. Et, si, quod res est, dicemus, hæc omnia vere includit verbum ἰσφεράσσειν, sed ita tamen, ut simul aliquid adhuc signatius involvat. Nihil hic dicere adinet de annulo ei tradito, quem quis vel heredem constituabat, vel certa aliqua potestate augebat, cujus rei exempla apud Auctores tam Sacros, quam profanos passim occurrunt, cum verbum σφραγίζειν non annulum tradendi, sed annulo signandi potestatem habeat. Propius ad veritatem accedere videntur, qui SALVATOREM hoc verbo adludere autumant ad morem Principum, quo legatos, quos ad certa negotia facienda mittunt, Litteris suo ipsorum annulo signatis munire solent; sed jure veremur, ut hæc signatio omnem verbi potestatem hoc loco exprimat, cum certum sit, verbum ἰσφεράσσειν heic non de epistola, sed de persona prædicari.

§. VI.

Prius vero, quam rite exponere queamus, quid sibi velit personam annulo signare, necesse est, ut luculenter evincamus, nomina ὁ πατρὸς atque ὁ θεοῦ, non conjunctim sumenda per adpositionem, quam dicunt Gramatici, sed sejunctim, aut sigillatim,

ita ut prius *signantem*, posterius ipsum *signum* denotet. Primum in adpositionibus non *divelli*, sed *conjugi* solent *nomina*, quæ sic sunt intelligenda. Argumento certe est inductio exemplorum adpositionis, quæ in Sacro Codice Novi Fœderis occurrunt v. g. *ἀδελφοί* *Πνεῦται* Matth. XII. v. 41. *ἀδελφὸς* *ἀμαρτωλός* Luc. V. v. 8. *ἀμαρτωλῶ ἀδελφὸς* Cap. XIX. v. 7. *ἀδελφὸς* *προφῆτης* Cap. XXIV. v. 19. Act. I. v. 16 *ἀδελφοί* *ἀδελφοί* Cap. II. v. 29: 37. Cap. VII. v. 2: 26. Cap. XIII. v. 15, 26, 38. Cap. XV. v. 7. Cap. XXII. v. 1. Cap. XXVIII. v. 17. *ἀδελφοί* *Ἰσραηλῖται* Act. II. v. 22. Cap. V. v. 35. Cap. XIII. v. 16. Cap. XX. v. 28. *ἀνθρώπος* *φάρος* καὶ *οἰνοπότης* Matth. XI. v. 19. Luc. VII. v. 34. *ἀνθρώπων* *ἐμπρο* Matth. XIII. v. 45. *ἀνθρώπων* *ἰμωδὸς* *πῆχη* Matth. XX. v. 1. *ἀνθρώπων* *βασιλεῖ* Matth. XVIII. v. 23. Cap. XXII. v. 2. *οἱ* *ἀνθρώποι* *οἱ* *πίμνεις* Luc. II. v. 15. *πρωτος* *ἀνθρώπος* *Ἄδὰμ* I. Cor. XV. v. 45. *δεύτερος* *ἀνθρώπος* *ὁ* *κύριος* v. 47. *ἀνθρώπος* *χειρὸς* *ἰησοῦς* I. Tim. II. v. 5. Nec facile quisquam vel unum adducet, exemplum, ex quo contrarium constet. Eo igitur confidentius adpositionem hoc loco negamus, quod eam nulla neque necessitas postulat, neque utilitas svadet. Satis enim distincte intelligebant Judæi, a SALVATORE nomine PATRIS indigitari DEUM, Sin vero minus, idem ipsis æque constare poterat ex nomine *θεός*, pro ipsa signatura sumto, in cujus enim annulo incisum est signum: DEUS, eum DEUM esse, citra discursum adparet. Præterea cum animos auditorum fortius adficere soleat oratio, quæ idoneis distincta figuris, paulo altius exsurgit, quam quæ verbis proprie sumtis contenta, humi serpere videtur,

tur, credibile est, SALVATOREM eam hinc adhibuisse *imaginem*, quam nostra insinuat interpretatio, eoque credibilius, quod totus IPSIUS Sermo, qui in hoc legitur capite, alto admodum cothurno incedit, figuris sublimissimis & picturis efficacissimis per omnia illustris.

§. VII.

Sigilla continere solent vel sola *nomina* possessorum vel ipsa simul *insignia*. Cum igitur SALVATOR sibi *impressum* dicit *sigillum* PATRIS *cælestis*: ὁ Θεός, idem sine dubio dicere vult, quod de eo tanquam *legato* Patris dictum est Exodi XXIII. v. 21. ubi extat כַּרְבוֹ שְׂמִי, *nomen meum in ipso est*. Quod quid sibi velit, ipse haud obscure significat, quando dicit: *qui me vidit Patrem vidit* Joh. XIV. v. 9. Ipse enim est εἰκὼν τοῦ Θεοῦ, *imago Dei* II. Cor. IV. v. 4. εἰκὼν τοῦ Θεοῦ ἀοράτου, *imago (visibilis), Dei invisibilis* Col. I. v. 15. ἀπαύλασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτῆρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ *fulgor ex splendore Patris emicans & expressa effigies substantiæ* Ejus Ebr. I. v. 3. χαρακτῆρ est ex χαρασσῶ I. χαραττω, *imaginem alicujus sculpendo, exprimo*. Potest quidquam nostræ interpretationi esse convenientius? Quisquis igitur discere cupiverit, quid animi Deus erga lapsum genus humanum habeat, is illud nunquam neque clarius, neque certius discet, quam si adtento animo intueri velit *Hunc filium Hominis, quem PATER suus cælestis ita suo signavit annulo, ut nomen ejus DEUS in omnibus ejus gestibus, sermonibusque haud aliter eluceret, ac si proprii annuli signatura exsculptum esset, expressumque*. Quid? quod dicere audeam, *characterem animi divini*

vini nusquam clarius aut certius exsplendere, quam
 ex *cruenta passione filii*, qui ideo *Filius* quoque *Ho-*
minis esse debuit. Nisi enim *carnem & sanguinem*
 habuisset, nunquam nobis nec parare, nec præbere
 potuisset *cibum illum spiritualem*, qui *solus vitam ater-*
nam & amissam reddere & redditam sustentare valet.
 Ut hoc crederent, qui *Salvatorem* hæc proferentem
 verba audiebant, ipsi ita cordi erat, ut hunc *verum*
sermonis scopum sibi proposuisse censendus sit. Hinc
 necesse habebat *illustriorem sui characterem* eis con-
 templandum & adgnosendum exhibere, quam ex
forma, qua, ut *Filius Hominis*, eis innotuerat, *humi-*
li & servili concipere possent. Quid vero dici po-
 terat insignius? Quid illustrius? quid efficacius, quam
 quo ita exprimeretur ipse *PATRIS ipsius character*,
 ut quisque ad illum rite adtenderet, is exinde om-
 nem *divinitatis plenitudinem*, quæ *in ipso habitat*
σπουδαίως, i. e. non umbratice & figurative, sed *ve-*
re & realiter, essentialiter, substantialiter. Col. I. v. 9.
 II. v. 19. percipere posset. Hanc igitur dicti *SAL-*
VATORIS expositionem æquis & peritis rei arbitris
 eo facilius se commendaturam speramus, quod quid-
 quid efficacis præstantiores aliorum interpretationes
 in recessu habeant, id hæc non excludat,
 sed involvat.

